

baptizati, cum quadam successione, seu successiva effusione partium aquæ per partes corporis. Hoc ita declaro, nam in primis, quod requiratur contactus, certum est ex ipsa vocis significatione. Nemo enim unquam dixit, aquam, quæ non tangit corpus, abluere illud, et ideo solet interdum a Patribus hæc ablutio vocari tinctio seu tactus, aut contactus aquæ. Deinde, quod sit etiam necessaria motio per corpus, seu successivus contactus, constat etiam ex significatione vocis et communi modo concipiendi omnium. Aqua enim in vase existens propter solum contactum non dicitur abluere illud; oportet ergo, ut per corpus diffundatur, et successive contingat, ut bene Scot. notavit. Unde fieri potest, ut illa motione, atque adeo ablutione finita, aliqua pars aquæ adhæreat corpori, et contingat illud, cum tamen jam illud non abluat; ergo ablutio non consistit in quolibet contactu, sed oportet, ut sit in fieri, et ideo necesse est, ut successive fiat, saltem physice et naturaliter loquendo, quia per motum localem fit. Dico autem naturaliter loquendo, quia fingi potest, quod ille contactus fiat in uno instante terminante motum localem aquæ ad corpus, ita ut in eodem instanti plures partes aquæ perveniant ad contingendas plures partes corporis, et tunc ille contactus sine dubio sufficeret ad ablutionem, et ad hoc, ut in eodem instanti perficeretur sacramentum. Sed hujusmodi casus non sunt morales, et ideo absolute dici potest, requiri contactum successivum, prout naturaliter fieri potest. Adde, necessarium etiam esse, ut hic contactus fiat per corpus liquidum, nam gelu, v. gr., non potest abluere, quia est corpus durum, licet possit paulatim contingere corpus; necessarium ergo est, ut fiat contactus cum quadam facili divisione corporis abluentis, ita ut facile cedat ad contactum alterius. Et ideo oportet, ut tale corpus sit liquidum; quod totum ex ipso usu vocum et experientia constat.

5. Et declarari potest ex fine ablutionis corporalis; ordinatur enim ad mundandum corpus, et tollendas sordes ejus, et ideo oportet, ut fiat per corpus liquidum, quod sicut facile dividitur, ita facile subintrat per partes alterius corporis, quod abluit. Oportet autem attente distinguere inter hunc effectum ablutionis, et ablutionem ipsam. Sæpe enim vulgari sermone ablutio sumitur pro ipsa sordium depositione, nec censetur quis vere ablutus, etiam si aquam contigerit, si mun-

datus non sit; tamen hic potius est effectus ablutionis proprie dictæ, et præsertim prout nunc loquimur, qui effectus non est ad baptismum necessarius. Nam si quis aqua tingitur, etiam si per eum contactum nullam corporis munditiam assequatur, nec sordes aliquas deponat, nihil obstat, quominus fiat baptismus, quia non carnis depositio sordium, sed contactus aquæ in verbo vitæ illum perficit.

6. Atque inde aperte colligitur, quod in assertionem dicebamus, non esse necessariam passionem aliquam physicam in corpore baptizati, ut ablutio fiat, quia in primis non est necessaria emundatio aliqua corporalis; nec separatio alicujus impuræ substantiæ a corpore baptizati. Deinde non est necessaria aliqua alteratio, nam licet hæc naturaliter consequatur, v. gr., frigeffectio vel humefactio, tamen est per accidens ad rationem ablutionis ut sic. Unde si per potentiam Dei fingamus impediri ac suspendi omnem hujusmodi alterationem, nihilominus intelligitur manere vera ablutio et ad baptismum sufficiens. Rursus non est necessaria motio localis corporis baptizati, nam licet interdum possit fieri, quando baptismus fit per immersionem, ut infra dicemus, tamen per se non est necessaria; satis enim est, quod aqua moveatur contingendo corpus baptizati. Nulla ergo passio propria ac physica talis corporis est necessaria ad hanc ablutionem. Solus enim contactus nullam passionem dicit receptam in corpore baptizati, sed denominationem tantum extrinsecam, seu relationem quandam ex tali propinquitate corporum resultantem. Ergo ablutio, ut sic, neque in ratione sua formali includit physicam passionem in corpore baptizati, neque in tali passione potest consistere materia proxima hujus sacramenti. Consistit ergo præcise in prædicto contactu successivo, prout a nobis explicatus est; ad quem necessarius est aliquis motus localis, vel aquæ per corpus, vel corporis subintrantis aquam, juxta diversos modos ablutionum infra declarandos.

7. Atque hinc tandem concluditur, ablutionem hanc, ut dicit effectioem hujus contactus aquæ ad corpus, habere rationem actionis, prout vero dicit aquam ipsam, quasi receptam in corpore seu contingentem illud, ut sic habere se ad modum passionis, quamvis proprie et physice vera passio non sit, sed sola corporis propinquitas, seu contiguitas, in qua contactus ille consistit, ut dictum est,

et per se est satis clarum. Et in hac ultima ratione seu consideratione consistit ratio ablutionis, et materia proxima hujus sacramenti, juxta illud Augustin., tract. 80 in Joan.: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat?*

8. Quapropter valde falsum est, quod Ledesma dixit in 4, 2 part., quæst. 7, art. 1, dub. 3, scilicet, baptismum seu ablutionem esse ipsum corpus baptizati potius quam aquam, nam in hoc indicat ablutionem realiter, seu identice esse idem cum corpore baptizati, prout contingentis aquam, cum tamen contrario prorsus modo dicendum sit, nimirum, ablutionem identice esse ipsam aquam, et addere quemdam modum; scilicet applicationem ejus ad corpus, ita ut illud contingat, et per illud seu juxta illud aliquo modo fluat. Quia ipsa aqua est, quæ sub illo modo applicata est signum gratiæ, et instrumentum efficax illius. Alioqui potius corpus baptizati, quam aqua, dicendum esset materia baptismi.

9. *Quanta ablutio necessaria sit ad materiam proximam baptismi constituendam.* — Ex his vero oritur alia dubitatio, nimirum, quanta ablutio necessaria sit ad hujusmodi materiam. Dictum est enim necessariam esse aliquam successionem, seu effusionem aquæ per corpus baptizati; quanta ergo esse debet hujusmodi successio? Ubi duo quæri possunt. Primum, per quot partes corporis esse debeat hæc ablutio. Secundum, in qua aquæ quantitate. Circa primam interrogationem, quidam existimant, quamcumque minimam partem corporis sufficere, quia in qualibet est tota anima; ergo per contactum cujuscumque partis potest mundari a peccato originali, ut argumentatur Dur., in 4, d. 6, quæst. 4, n. 16. Quæ tamen ratio est valde infirma, quia ad valorem baptismi nihil refert, quod tangatur pars, in qua est anima; quia hæc ablutio, in qua est pars sacramenti, licet effective sit ablutio animæ, tamen formaliter esse debet ablutio corporis; et ideo hoc imprimis est considerandum, an scilicet ablutio sit talis, ut simpliciter dici possit hominis ablutio. Quocirca in hoc facilius dici potest, quid necessarium non sit, quam præcise definiri, quid sit necessarium. Nam imprimis constat, non oportere, ut totum corpus abluatur, nam hoc in baptismo aduorum nec fit, nec decenter fieri potest. Item, quando ablutio fit per aspersionem, constat non attingi omnes partes corporis. Item sine ablu-

tione omnium partium potest esse ablutio sufficiens, ut totus homo simpliciter denominetur baptizatus.

10. Deinde etiam satis non est, ut quælibet minima pars corporis tingatur aqua, quia si digito, v. gr., attingat illam, non dicitur simpliciter homo abluere, quamvis aliquam partem digiti aquæ immergat. Unde a fortiori non satis erit, quod aspersione aquæ vestes hominis attingat, si non attingat ipsum corpus, quia nullo modo dici potest ablutio corporis. Necesse est igitur, ut corpus ipsum, in aliqua principali parte saltem mediocris quantitatis, aqua tingatur. Quanta vero debeat esse hæc pars, non potest mathematicè (ut ita dicam) præscribi, quia neque revelatum est, neque habemus aliam certam regulam ad id definiendum, præter illam, nimirum, eam ablutionem esse necessariam, quæ sufficiat ad denominandum hominem simpliciter baptizatum.

11. Quapropter in praxi observandum est, ut securior pars, quoad fieri potest, eligatur. Unde si baptismus fieri potest in capite, illa est certissima et sufficientissima materia, quia illa pars præcipua est, et ab ea maxime potest totus homo denominari. Quod si hoc commode fieri non potest propter aliquod gravis nocenti periculum, si fiat ablutio in scapulis aut in pectore, vel in humeris, erit satis certa et indubitata materia. Interdum vero solet occurrere necessitas baptizandi puerum in pede propter periculum mortis, et tunc etiam licite id fit; tamen quia res est dubia, si infans evadat periculum, et perfecte nascatur, iterum abluendus est sub conditione, prout in ritualibus Ecclesiasticis parochi admonentur; et hæc est communis doctrina Theologorum, cum D. Thoma infra, quæst. 68, art. 11, et apertius in 4, dist. 6, quæst. 4, art. 1, quæstiunc. 4, ad 3; et ibi Palud., quæst. 4; Soto, d. 4, quæst. 3; Gab., quæst. 2, art. 3, dub. 2; Soto, art. 7.

12. Quare non est probanda sententia eorum, qui existimant in extrema necessitate minorem ablutionem sufficere ad substantiam sacramenti, quam extra necessitatem sufficiat; sicut in sacramento pœnitentiæ aliqua confessio satis est in necessitate quæ extra illam non esset sufficiens, etiam ad valorem sacramenti. Hoc enim probabile non est, quia ablutio hominis absolute et simpliciter est de substantia sacramenti, sive in necessitate, sive extra illam fiat. Unde si ablutio non pervenit ad illam quantitatem, in qua



prædictam rationem habeat, etiam in necessitate erit insufficientis; si vero pervenit usque ad prædictam quantitatem, etiam extra necessitatem sufficiet. Neque est simile de sacramento confessionis, quia ibi materia necessaria est confessio integra formaliter, id est, quatenus homini est moraliter possibilis; et hæc etiam est necessaria in articulo necessitatis; est autem differentia; nam integritas formalis confessionis, quia est res quædam moralis, variari potest ex circumstantiis, quæ se tenent ex parte operantis, quia confessio est actio quædam moralis; at vero ablutio est res quædam physica, quæ non variat rationem suam, ex eo quod subiectum sit in necessitate vel extra illam.

43. *Ad alteram partem dubitationis.* — *Alia dubitatio.* — Atque hinc est facilis responsio ad posteriorem interrogationem de quantitate aquæ. Dicendum est enim, eam aquæ quantitatem, et necessariam esse, et sufficere, quæ ad abluendam seu contingendam sufficientem corporis partem satis fuerit. Quocirca cum hic contactus successive fieri debeat, parva quantitas aquæ sine dubio sufficiet, quia successive fluere potest per magnam corporis partem. Dices: cum hæc ablutio possit esse major, vel minor, quando perficietur sacramentum? numquid statim finita minima ablutione necessaria, an post absolutam totam ablutionem, quæ de facto fit, quamvis alioqui non esset tota necessaria? Videtur enim primum, quia ad perficiendum sacramentum sufficit materia necessaria. Aliunde vero videtur secundum, quia quando illa minima ablutio non adhibetur sola, non potest dici ablutio, sed pars vel initium ablutionis. Cum ergo sacramentum non sit pars ablutionis, sed ablutio simpliciter, non perficietur sacramentum, donec perficiatur ablutio, quantacumque illa sit.

44. *Quorundam responsio.* — *Vera solutio.* — Respondent aliqui, hoc esse intentionem baptizantis definiendum. Sed hoc non satisfacit, tum quia minister non potest sua intentione differre vel suspendere perfectionem sacramenti, si alioqui habeat veram intentionem efficiendi illud, et sufficientem materiam et formam adhibeat; tum etiam, quia nullus minister habet huiusmodi intentionem, nec moraliter potest illam habere; sed absolute intendit facere sacramentum, sicut potest et debet. Dico ergo, statim ac perficitur forma, si cadat in ablutionem sufficientem, quantumvis minima sit, statim per-

fici sacramentum, propter rationem factam, quia jam ibi concurrunt omnia necessaria. Et ita sentit Cajet. hic, art. 8; et idem indicat Soto. Ad argumentum vero dicitur imprimis, cum ablutio sit res homogœna, quamlibet partem ablutionis esse ablutionem; et ideo, si alioquin sit per se sufficiens, nihil referre, aut obstare, quod post illam alia partes ablutionis subsequantur. Unde ulterius dicitur, quod licet physice illa ablutio sit veluti quidam partialis motus, quia ulterius continuatur, tamen in ordine ad sacramentum est materia totalis, quia, ut sic, subest formæ, et quidquid postea sequitur, est per accidens ad sacramentum.

45. *Objectio.* — Sed contra, nam D. Thomas, in 4, d. 3, art. 4, quæst. 3, ad 3, dicit, quando baptismus fit trina mersione, non perfici sacramentum, donec absolvatur tertia mersio, et idem dicit Palud., ibid., quæst. 3, circa finem, et patet, quia alias superflua esset posterior immersio, si jam esset factum sacramentum, quia nunquam constare posset ex trina illa mersione; quod tamen videtur et contra intentionem Ecclesiæ, et contra intentionem ministri sic baptizantis; ergo eadem ratione in quovis alio baptizandi modo non perficitur sacramentum, donec absolvatur tota ablutio.

46. *Respondetur.* — Respondetur, illud dictum D. Thomæ, ut verum habeat, intelligendum esse, dummodo non perficiatur tota forma, donec fiat ultima mersio, nam si perficeretur forma in secunda, vel in prima, tunc esset sacramentum perfectum, ut dictum est. Quocirca in eo baptizandi modo, si minister velit, ut omnes mersiones aliquo modo concurrant ad sacramentum, observare debet, ut non proferat totam formam ante ultimam mersionem, quia alias non poterit impedire perfectionem sacramenti, si legitimam habet intentionem, etiam si intendat baptizare trina mersione, quia solum potest hoc intendere, prout in se est necessarium; et ideo illa intentio nihil obstat, quin sacramentum perficiatur, cum primum sufficiens materia sub essentiali forma completur. Imo neque obstare potest talis intentio, ut dixi, etiam si ipse minister cupiat suspendere, seu differre perfectionem sacramenti, nisi adeo sit temerarius, ut directe nolit sacramentum conficere, etiam si proferat formam, donec tanta ablutio, v. gr., totius corporis, aut donec trina mersio, vel aliquid simile perficiatur. Tunc enim fortasse omnino nihil efficiet, quia non habet

## SECTIO III.

Quod ablutionis genus ad baptismum sufficiat vel necessarium sit.

legitimam intentionem perficiendi sacramentum, quando perfici potest; vel, si cum illa particulari intentione retineat generalem intentionem faciendi quod fecit Christus, et quod potest et debet, nihilominus statim perficietur sacramentum.

47. Atque hinc tandem intelligitur, quomodo sit verum, quod Paludanus supra scribit, si aliquis tentet baptizare parvulum animam agentem, trina mersione, et contingat parvulum mori in prima, vel secunda, et huiusmodi infantem mori sine baptismo, et ministrum peccare graviter, et præterea manere irregularem. Nam primum, quod de parvulo dicit, tunc erit verum, quando parvulus mortuus fuerit ante absolutam formam, non vero si post formam integre prolatam decedat, ut dictum est. Secundum de peccato ministri est certissimum, tum propter nocuum corpus, quod infert parvulo, præsertim sine necessitate, tum propter periculum, cui exponit illum, decedendi sine sacramento essentialiter perfecto. Tertium de irregularitate, tunc erit verum, quando sic baptizans censetur homicida, vel accelerans mortem parvuli per actionem suam; et quando huiusmodi causa mortis datur, non solum incurreret irregularitas, si parvulus decedat ante perfectum sacramentum, sed etiam si sacramentum jam perfectum sit, quia irregularitas non incurritur propter spirituale nocuum, sed propter homicidium seu mortis accelerationem, quæ in utroque casu æque intervenit.

48. *Objectio.* — *Diluitur.* — Dices: ergo etiam si quis baptizet huiusmodi parvulum agentem animam, minima ablutione sufficiente ac necessaria ad baptismum, si per illam acceleretur mors, manebit irregularis. Respondetur huiusmodi casum non esse mortalem, quia semper potest fieri tam parva, tamque temperata ablutio, et in tali parte corporis, ut nihil noceat, nec mortem acceleret. Si tamen fingendi detur licentia, propter huiusmodi accelerationem non incurreret irregularitas, quia illa neque est injusta, neque intenta, seu per se facta, neque moraliter vitari potest, sed est solum juste permissa; et ideo, qui sic baptizat, nullo modo censetur causa mortis; non ergo est, cur irregularitatem incurrat.

1. *Status questionis.* — Duplex est ablutionis genus: unum est per aspersionem, seu infusionem aquæ; alterum est, per immersionem in aqua. In quo potest esse varietas; nam hæc immersio potest esse, vel una, vel multiplex. Item potest esse talis immersio, cui succedat emersio, aut talis, quæ sit sola immersio; quæ videtur potius esse suffocatio. Inquirimus ergo, quo ex his modis facienda sit ablutio, quæ ad baptismum sufficit.

2. *Dubitandi ratio.* — Et ratio dubitandi esse potest, quia Pelagius Papa, in epis. ad Gaudentium, prout refertur a Gratiano in cap. Multi sunt, de Cons., dist. 4, et ab Ivone, in suo decr., 4 p., cap. 461, dicit esse præceptum Evangelicum baptizandi trina mersione, cum invocatione Trinitatis, ubi utrumque conjungens indicat, utrumque esse ejusdem necessitatis; ergo sola trina mersio est ablutio ad baptismum sufficiens. Præterea in Can. 50 Apostol. sic dicitur: *Si quis Episcopus, aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptisate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate, sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hinc Basil., lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, inter Apostolicas traditiones ponit, trina mersione baptizare; et Tertull., lib. de Corona militis, cap. 3, eam numerat inter traditiones non scriptas; idem Tertull., lib. advers. Praxeam, cap. 26. Quæ traditio sumitur etiam ex Dionys., lib. de Eccles. Hier., cap. 2, in 2 part. illius, in fine, et ex Leone Pap., epist. 4, ad Episcopos Siciliae, cap. 3, ubi ait per trinam mersionem, triduanam Christi sepulturam significari, et ex Hieronymo, Dialog. contra Lucifer., et in id ad Eph. 2: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma: Ter mergimur (inquit) ut Trinitatis unum appareat sacramentum.* Idem Augustinus, serm. 91 et 201 de Temp., et in cap. Postquam, de Consecr., d. 4; sic etiam Damasc., lib. 4, cap. 10: *Baptismus (inquit) per triplicem mersionem, tres dies, quibus Dominus tumulo conditus jacuit, significat; atque idem fere legimus apud Athan., quæst. 125, ad Anuocn.; et Gregor. Nyssen., Orat. magna*



Catechet., cap. 35; Ambr., lib. 2 de Sacram., cap. 7; Augustin., serm. 91 de Temp. Denique Theodoret., lib. 4 Hæretic. fabularum, cap. de Eunomio, ita de eo scribit: *Ipse subvertit sancti baptismi ritum a Domino et Apostolis ab initio traditum, dicens, non oportere ter immergere eum, qui baptizatur; et horum error videtur damnari in Concil. Constantinopol. I, can. 7.*

3. *Prima conclusio.* — *Quævis ablutio, sive per aspersionem, sive per immersionem unam aut trinam ad verum baptismum sufficit.* — *Probatur conclusio.* — Sed nihilominus dicendum primo est, quæcumque ablutionem, sive per aspersionem fiat, sive per immersionem unam aut trinam, sufficere ad sacramentum constituendum, dummodo vera ratio ablutionis salvetur. Hæc conclusio intelligitur, quantum attinet ad necessitatem sacramenti, ut factum teneat, nam de ritu servando ex præcepto infra dicemus. Et hoc sensu est certa conclusio, et communis Theologorum, in 4, dist. 3, et D. Thomæ infra, art. 7 et 8.

4. Et probatur, quia materia proxima baptismi est ablutio, ut ostensum est; sed ex institutione Christi nihil aliud definitum est, nisi quod hæc ablutio sit in aqua; quod vero hoc, vel illo modo fiat, non est a Christo præscriptum, ut patet ex illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua;* et ex illis: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii,* etc. Ergo nullus particularis modus ablutionis est de essentia baptismi. Rursus vera ablutio fieri potest per aspersionem, et per immersionem unam, aut trinam; ergo quilibet istorum modorum sufficit ad baptismum, quantum ad ejus necessitatem et essentiam spectat. Præterea, quod trina mersio non sit necessaria, sed una sufficiat, constat ex Concil. Toletan. IV, cap. 5, ubi etiam refertur responsio Gregorii Papæ ad Leandrum, quæ habetur lib. 4 Reg., epist. 41, qui consultus de hac re, quoniam in Hispania, quidam triplici mersione, alii una tantum baptizabant, respondit, utramque retineri posse, sive trina mersio adhibeatur ad significandam Trinitatem personarum, sive una tantum ad confitendam divinitatis unitatem. Imo addit consultius fuisse tunc, posteriorem baptizandi modum retinere ad vitandum Arrianorum errorem, qui naturarum divisionem et Trinitatem in trina mersione profitebantur. Quod autem neque una mersio sit simpliciter necessaria, sed aspersio sufficiat, præter rationem factam, est senten-

tia Cypriani, lib. 4, epist. 7, alias epist. 76, § Quæsiisti, ubi ad hoc confirmandum adducit illud Ezech. 36: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* et ex eo quod, Num. 18 et 19, aqua purificationis, per quam aqua baptismi significabatur, aqua aspersionis dicitur. Item ex consuetudine Ecclesiæ, in qua semper observatum est, ut hoc modo tribui possit baptismus saltem in necessitate; quomodo legimus, Laurentium instante martyrii sui tempore quemdam baptizasse aspersione, seu perfusione aquæ; signum ergo est hoc sufficere ad essentiam et substantiam sacramenti. Quin potius etiam Apostolos hoc modo interdum baptizasse, multi ex eo colligunt, quod uno die tria millia hominum baptizatos legimus, Act. 2, quod facile fieri poterat per aspersionem; difficilius autem per immersionem. Tandem Christus baptismo suo, quo baptizatus est, indicavit et sanctificavit materiam baptismi ab ipso instituendi; ipse autem baptizatus est per aspersionem, ut per se verisimile est, et communiter creditur, ac depingitur; ergo quilibet horum modorum sufficit ad sacramentum. Quod vero attinet ad præceptum, nihil certius dici potest, quam servandam esse uniuscujusque Ecclesiæ, seu provinciæ consuetudinem, ut D. Thomas infra, art. 8, sentit, et Turrec., cap. Si quis, de Consec., d. 4.

5. *Dubitatio.* — Una tantum superest difficultas, scilicet, an, quando baptismus fit per immersionem, necessarium sit, ut immersioni emersio succedat, et casus vulgaris est, si quis puerum in flumen projiciat. Theologi enim communiter sentire videntur, illum non esse verum baptismum, quamvis in ratione reddenda non conveniant. Scotus enim, d. 5, dicit ablutionem, quæ est materia baptismi, ordinari ad vitam ejus, qui baptizatur; illam autem ablutionem potius ordinari ad mortem, et ideo non satis esse ad baptismum. Sed hæc ratio laborat in æquivoco; ablutio enim sacramentalis ordinatur ad vitam animæ; potest autem hunc finem retinere, etiam si ex prava ministri intentione ad corporis mortem ordinetur. Nam talis intentio ministri, si non mutat veritatem ablutionis, non potest obstare, quominus sacramentum fiat. Quia prava intentio, quæ non est contra substantiam sacramenti, sed contra bonos mores, non impedit substantiam sacramenti. Exemplo res aperte demonstratur. Nam, si sacerdos aqua calidissima infantem ablueret, intentione

quidem baptizandi illum, animo tamen simul interficiendi, verum sacramentum conficeret, quia hæc posterior intentio non excludit intentionem conficiendi sacramentum, neque tollit aliquid quod sit de substantia ejus. Aliter ergo Richard., dist. 4, art. 2, casu 2, aliam rationem reddit, quia illa submersio non est ablutio, quia de ratione ablutionis est, ut submersioni succedat emersio, nam oportet ut corpus prius aqua tingatur, seu cooperiatur in toto, vel in parte, et postea discooperiatur; hoc autem non fit, quando baptizandus projicitur in aquam, et ideo illa non est ablutio, sed potius suffocatio. Et confirmatur, nam ablutio, quæ est materia baptismi, debet repræsentare Christi passionem et resurrectionem; illa autem immersio, cui non succedit emersio, non repræsentat resurrectionem ullo modo. Et hanc fere rationem sequuntur Palud., dist. 6, quæst. 4, art. 3; Marsil., in 4, quæst. 4, art. 4, dubitat. 8; Soto, dist. 3, quæst. unica, art. 8, circa finem.; Sylvest., verbo Baptismus, 4, § 10, et Baptismus, 5, § 1; Angelus, verbo Baptismus, 4, in principio; Armilla, verbo Baptismus, n. 30. Sed hæc etiam ratio non videtur convincere, quia de ratione ablutionis solum est, quod sit successivus contactus aquæ circa corpus hominis, ut supra visum est; sed tota hæc ratio ablutionis salvatur in illa immersione, quamvis illi non succedat emersio; ergo est ibi vera ablutio, atque adeo vera materia baptismi. Et confirmatur, nam si quis immundum lapidem projiciat in flumen, et ibi mundet, vere dicitur esse ablutus, antequam e flumine extrahatur; ergo non est de ratione ablutionis, quod submersioni succedat emersio; neque est contra rationem ablutionis, quod fiat per solam submersionem; ergo fieri optime potest, ut minister intendat abluere submergendo tantum, et non emergendo; ergo quod immersio ordinetur ad emersionem, accidentarium est, et non variat substantialem materiam, et intentionem sacramenti. Et confirmatur secundo, quia si minister bono animo immergat infantem in flumen ad baptizandum illum, et casu elabatur e manibus, et suffocetur, nihilominus perficiet sacramentum, ut Soto admittit; ergo, signum est, illum præcisum contactum aquæ, illo modo factum, esse sufficientem ablutionem et materiam baptismi; ergo etiamsi sit per se intentus, erit similiter sufficiens materia; nam ratio ablutionis non variatur ex eo, quod vel casu, vel a consilio emersio non succedat immersioni.

6. Quocirca, quod Richard. ait, ad ablutionem requiri, ut corpus, aut pars ejus prius cooperiatur aqua et deinde discooperiatur, non est vel ratione aliqua, vel auctoritate fundatum, tum quia ad rationem ablutionis per se ac præcise non requiritur, nisi sufficiens contactus aquæ; unde si metaphysice fingamus partem aquæ abluentis contingere partem corporis illique adherere tempore aliquo, illud nihil obstabit, quominus ablutio et sacramentum perficiatur; tum etiam quia, ut dicebamus, optime fieri potest ablutio sub aquis; imo etiam in ablutione, quæ fit per aspersionem, tanta posset esse moles aquæ super hominem infusæ, ut illum prorsus obrueret, et operiret, et nihilominus illa esset ablutio sufficiens ad baptismum.

7. *Vera responsio.* — Quapropter aliis videtur in eo casu verum perfici sacramentum, quamvis graviter peccet, qui sic baptizat, propter homicidium, quod committit. Ita sentit Gabr., in 4, d. 4, quæst. 2, art. 3, dub. 4, circa finem, qui refert Holcot., et Panormit., in cap. eo Non ut apponeres, de Baptismo. Et idem tenet Petrus de Aliaco in 4, quæst. 2, et Sum. Rosel., verbo Baptismus. Et hæc opinio mihi videtur satis tuta et probabilis, quia revera nullus essentialis defectus in tali baptismo ostenditur. Suppono enim, ministrum habere veram ac sufficientem intentionem baptizandi; suppono etiam, proferre integram formam antequam infans moriatur. Et similiter suppono, in illo tempore, dum profertur forma, fieri contactum aquæ de se sufficientem ad baptismum perficiendum; quid ergo desideratur, ut perficiatur? intentio enim occidendi non obstat, ut probatum est. Item non refert, quod immersioni non succedat emersio, quia totum hoc est accidentarium, dummodo servetur ratio ablutionis, prout servari potest, sicut probatum est; neque etiam refert, quod significetur sepultura et non resurrectio, quia hæc repræsentatio non est de essentia baptismi, sed sola ablutio. Imo ad Rom. 6, sola sepultura dicitur proprie ac formaliter repræsentari per baptismum; resurrectio vero solum ex consequenti, quatenus illa mors ad hoc ordinatur, ut in novitate vitæ ambulemus. Denique non obstat, quod minister projiciat infantem in aquam. Quia si hoc obstaret, aut esset propter suffocationem, et hoc non, quia prius fit ablutio, seu contactus sufficiens, et postea sequitur suffocatio; aut esset, quia cum minister projicit infantem, non videtur ipse